

Vd. 29 a.

AUREA BULLA
K A R O L I IV
ROM. IMPERATORIS
Norimbergæ

¶

Metis.

ANNO M CCC LVI

Sancita

ex

AUTOGRAPHO

famigeratissimo,

quod

In Reip. Mæno-Francofurtensis Archivo

sanctè adservatur,

fideliter & diligenter Anno 1681

descripta & edita

ab

HENRICO GÜNTERO
THÜLEMARIO.

Tertium recusa

ANNO M DC XCVII.

AUREA BULLA
KAROLI
ROM IMPERATORIS
Notum peditis

Matis



HEINRICO CUNTERO
THILLEMARIO

Anno MDC XCVII

OMnipotens eterne Deus spes unica mundi
 Qui celi fabricator ades qui conditor orbis
 Tu populi memor esto tui sic mitis ab alto
 Prospice ne gressum faciat ubi regnat erinis
 Imperat allelcta leges dictante megera
 Sed pocius virtute tui quem diligis hujus
 Cesaris insignis Karoli Deus alme ministra
Ut valeat ductore pio per amena virecta
 Florentum semper nemorum sedesque beatas
 Ad latices intrare pios ubi semina vite
 Divinis animantur aquis & fonte superno
 Letificata seges spinis mundatur ademptis.
Ut messis queat esse Dei mercisque future
 Maxima centenum cumulare per horrea fructum.

(SYLLABUS CAPITUM
AUREÆ BULLÆ)

- Cap. I. *Qualis esse debeat conductus Electorum & a quibus*
- II. *De Elezione Regis Roman*
- III. *De scissione Treveren Colon & Moguntin Archiepiscoporum*
- IV. *De Principibus Electoribus in communi*
- V. *De jure Comitis Palatini & etiam Saxonie Ducis*
- VI. *De comparatione Principum Electorum ad alios Principes
communes*
- VII. *De Successione Principum*
- VIII. *De Regis Boemie & regnicularum ejus immunitate*
- IX. *De auri argenti & aliarum specierum mineris*
- X. *De monetis*
- XI. *De immunitate Principum Electorum*
- XII. *De Congregatione Prncipum*
- XIII. *De revocatione Privilegiorum*
- XIV. *De hys quibus ut indignis auferuntur bona feudalia*
- XV. *De conspiratoribus*
- XVI. *De Pfalburgeriis*
- XVII. *De diffidacionibus*
- XVIII. *Litera intimacionis*
- XIX. *Forma procuratorii mittendi per eum Principem Electorem
qui Nuncios suos ad electionem faciendam duxerit desti-
nandum*
- XX. *De unione Principatum Electorum & jurium eis connexorum*
- XXI. *De ordine processionis inter Archiepiscopos.*

In



In nomine Sancte & individue Trinitatis feliciter, Amen.

KAROLUS QUARTUS divina favente clementia Romanorum Imperator semper Augustus & Boemie Rex ad perpetuam rei memoriam. Omne Regnum in se divisum defolabitur: Nam Principes ejus facti sunt locii furum. Ob quod Dominus miscuit in medio eorum spiritum vertiginis, ut palpent in meridie, sicut in tenebris, & candelabra eorum movit de loco suo, ut ceci sint & duces eorum. Et qui ambulant in tenebris, offendunt; & ceci mente scelera perpetrant, que in divisione contingunt. Dic Superbia, quomodo in Lucifero regnasset, si divisionem auxiliatricem non habuisses? Dic Sathan invidet, quomodo Adam de Paradiso ejecisses, nisi cum ab obedientia divisisses? Dic Luxuria, quomodo Trojam destruxisses, nisi Helenam à viro suo divisisses? Dic Ira, quomodo Romanam Rempublicam destruxisses, nisi in divisione Pompejum & Julium levientibus gladiis ad intestina prelia concitassem? Tu quidem Invidia Xpianum Imperium, à Deo ad instar sancte & individue Trinitatis, fide, spe & caritate, virtutibus Theologicis, roboratum, cuius fundamentum super Xpianissimo regno feliciter stabilitur, antiquo veneno, velut serpens in palmites Imperiales, & membra ejus propinquiora, impio scelere vomuisti, ut concussis columpnis totum edificium ruine subjiceres, divisionem inter septem Electores sacri Imperii, per quos velut septem candelabra lucentia in unitate Spiritus septiformis, sacrum illuminari debet Imperium, multotiens posuisti. Sane cum ex officio, quo Cesarea dignitate potimur, futuris divisionum periculis, inter Electores ipsos, de quorum numero ut Rex Boemie esse dinoscimur, ratione duplici, tam ex Imperio, quam Electionis jure, quo fungimur, occurtere teneamur: Infra scriptas Leges, ad unitatem inter Electores sovendam, electionem unanimem inducendam, ac detestande divisioni predicte, variisque periculis ex ea sequentiibus, aditum precludendum. In solempni Curia nostra Nurembergen assidentibus nobis omnibus Principibus Electoribus, ecclesiasticis & secularibus, ac aliorum Principum, Comitum, Baronum, Procerum, Nobilium, &

B

Civi-

Civitatum multitudine numeroſa, in folio Majestatis Cefaree Imperialibus Infulis, insigniis, & diademate decorati, matura deliberatione previa, de Imperialis potestatis plenitudine edidimus, statuimus, & duximus fancendas, sub Anno Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo sexto, Indicione nona, quarto Idus Januar. Regnorum nostrorum anno decimo, Imperii vero primo.

Qualis esse debeat Conductus Electorum, & à quibus. I.

Decernimus, & presenti Edicto Imperiali perpetuo valituro fancimus, ex certa scientia, & de Imperialis potestatis plenitudine, ut quotienscunque & quandocunque futuris temporibus necessitas sive causus Electionis Regis Romani in Imperatorem promovendi emerserit, & Principes Electores ad Electionem hujus, juxta antiquam laudabilem confuetudinem, habuerunt proficisci, unusquisque Princeps Elector, si & quando super hoc fuit requisitus, quoslibet Principes coelectores suos, vel ipsorum Nuncios, quos ad Electionem ipsam transmiserint, per terras, territoria & loca sua & etiam ultra, sicut longius poterit, conducere teneatur, & eis absque dolo prestare conductum, versus Civitatem, in qua talis Electio fuerit celebranda, & ab illa etiam redeundo, sub pena perjurii, ac perditionis, pro illa dumtaxat vice, sue vocis, quam in Electione hujusmodi fuerat habiturus. Quas quidem penas eos, vel eum, qui in prestanto memorato conductu rebellis, seu rebellem, negligentes vel negligentem se prebuerint, eo ipso decernimus incidisse.

Statuimus insuper & mandamus universis aliis Principibus, Feuda a sacro Imperio Romano tenentibus, quo cunque nomine censeantur, nec non Comitibus, Baronibus, Militibus, Clientibus, Nobilibus & Ignobilibus, Civibus & Communitatibus Castrorum, Civitatum & Locorum facri Imperii universis, ut eodem tempore, dum videlicet Regis Romani in Imperatorem promovendi Elec̄tio celebranda occurrerit, unumquemque Principem Electorem, ac ipsis vel eorum aliquo conductum hujusmodi postulantem, vel ejusdem Nuncios, quos ad Electionem ipsam direxerit, ut prefertur, per territoria sua & alias, quanto possint remocius, absque do-lo, modo predicto conducant.

Si qui vero huic nostre Constitutioni contraire presumperint, subscriptas ipso facto penas incurvant. Omnes quidem Principes & Comites, Barones, Nobiles, Milites, & Clientes & universi Nobiles contrarium facientes, reatum perjurii & privationem omnium feudorum, que a sacro Rom. Imp. & a quibuscumque aliis obtinent, & etiam omnium possessionum suarum

fiuarum a quocumque habitatarum, incurant. Omnes quoque Cives & Communitates, contra premissa facere presumentes, similiter sint perjuri, & nihilominus universis suis juribus, libertatibus, privilegiis, gratis, a sacro obtentis Imperio, sint omnino privati, & cum personis ac bonis suis omnibus bannum & proscriptionem Imperialem incurant. Et eosdem quos ipso facto ex nunc, prout ex tunc, omni jure privamus, deinceps cuiuslibet hominum autoritate propria, & sine judicio seu invocatione magistratus cuiuslibet impune licet invadere, nullamque penam propter hoc invadens ipsos debet ab imperio, aut quovis alio formidare, prefertim, cum contra Rempublicam & sacri statutum ac dignitatem Imperii ac etiam contra honorem proprium & salutem, tante rei temerarii negligentes, tanquam rebelles, inobedientes & perfidi, infideliter & perverse agere convincantur.

Decernentes insuper & mandantes, ut omnium Civitatum Cives & Communia, jam dictis Principibus Electoribus & eorum cuiuslibet hoc potestenti, eorumque Nunciis, victualia in communis precio atque cursu, pro suis, seu Nunciorum predicatorum hominumq; suorum necessitatibus, dum ad predictam Civitatem causa celebrande Electionis prediecte accesserint, ac etiam dum discesserint ab eadem, vendere seu vendi facere teneantur, nullam in premissis fraudem quomodolibet adhibendo. Alioquin contrarium facientes penas illas volumus ipso facto incurrere, quas in precedentibus contra Cives & Communitates duximus promulgandas. Quisquis insuper ex Principibus, Comitibus, Baronibus, Militibus, Civibus, seu Communitatis Civitatum, Principi Electori ad electionem de Rege Romani celebrandam eunti, vel ab ipsa denuо redeunti, hostiles custodias tendere seu infidias parare presumperit, aut ipsos, vel eorum aliquem, in sua, vel suorum personis aut rebus invadere vel turbare, seu ipsorum, vel alicuius eorum Nuncios antedictos five conductum pecierint five etiam non duxerint exigendum, hunc una cum universis malitiis sue complicibus, ipso facto supradictas penas decernimus incurrisse, ita videlicet, quod quevis Persona penam incidat, five penas, quas juxta premissa, pro qualitate personarum, duximus infligendas.

Si vero aliquis Princeps Elector cum aliquo suo Coelectore inimicitias gereret, & inter eos quecunque contencio, controversia seu dissensio vertetur, hys nequaquam obstantibus, alter alterum, vel alterius Nuncios, ad Electionem hujusmodi destinandos premisso modo conducere sit astrictus sub pena perjuri ac perditionis, ea vice dumtaxat, sue vocis in electione, ut superius est expressum.

Si qui vero alii Principes, Comites, Barones, Milites, Clientes, Nobiles vel Ignobiles, Cives, vel communia Civitatum, cum aliquo Principe Ele-

ctore, vel pluribus ex eisdem, adversam gerent voluntatem, seu quevis discordia inter ipsos adinvicem, vel guerra sive dissensio verteretur, nihilominus omni contradictione & dolo celsantibus, Principi Electori, vel Principibus, seu ejus vel ipsorum Nunciis ad Electionem hujusmodi destinandis, & redeuntibus ab eadem, talem debeant prestare conductum, prout singuli penas jam dictas, per nos videlicet in se latas, voluerint evitare: quas eos, qui fecerint, incurrisse decernimus eo ipso. Ad premislorum autem omnium firmitatem & certitudinem ampliorem jubemus & volumus, ut universi Principes Electores, & ceteri Principes nec non Comites, Barones, Nobiles, Civitates, premissa omnia literis & juramentis suis firmare & ad ea bona fide ac sine dolo implenda efficaciter se debeant obligare. Quicunque vero literas hujusmodi dare renuerit, penas illas ipso facto incidat, quas pro personarum condicione, per premissa, singulis duximus infligendas.

Si quis autem Princeps Elector, aliasve Princeps, cuiuscunq[ue] conditionis aut status, feudum vel feuda a sacro tenens Imperio, aut Comes, Baro, vel Nobilis, seu successores talium, vel heredes, supra & infra scriptas Imperiales nostras constitutiones & Leges adimplere noluerit, aut eis contraire presumpserit, siquidem talis Princeps Elector extiterit, ex tunc ceteri sui Coelectores a suo ipsum deinceps excludant consortio, ipseque voce Electionis & aliorum Principum Electorum loco, dignitate careat atque jure, nec investiatur de feudis, que a sacro Imperio nisis fuerit obtinere. Alius vero Princeps, aut vir nobilis, ut prefertur, in has nostras leges committens, similiter non investiatur de feudis que a Sacro Imperio, vel alias obtinet a quoque, & nihilominus omnes penas premissas, suam concernentes personam, incidat eo ipso.

Quamvis autem universos Principes, Comites, Barones, Nobiles, Milites, Clientes, Civitates quoque & Communitates illarum ad prestandum cuilibet Principi Electori vel ejus Nunciis prefatum conductum, ut predicitur, indistincte velimus & decreverimus obligari: Nihilominus eorum cuiuslibet singulares conductus & conductores, pro regionum & locorum adjacentia cuilibet magis aptos, duximus designandos, ut statim per sequentia plenius apparebit.

Primo namque Regem Boemic, Sacri Imperii Archipincernam, conducent Archiepiscopus Magantineñ, Bambergē & Heribopolē Episcopi: Burggravi Nurembergen: Item illi de Hohenloeh, de Wertheim, de Brunecke & de Hanow, Item Civitates Nurembergen, Rotemburg & Windesheim.

Deinde Archiepiscopum Colonieñ Sacri Imperii per Italiam Archicancellarium conducent & conducere tenebuntur Magantineñ & Treveren Ar-

Archiepi: Comes Palatinus Reni, Lantgravius Hassie: Item de Katzenelbogen, de Nassaw, de Dietz, Comites; Item de Isenburg, de Westirburg, de Runkel, de Limburg & Falkenstein: Item Civitates Wetflaria, Geylnhusen & Frideberg.

Item Archiepin Treveren, Sacri Imperii per Galliam & Regnum Arelaten Archicancell, conducent Archieps Maguntinē, Comes Palatinus Reni: Item de Spanhejm, de Veldenz Comites: Item Ruhgraffen, Wildgraffen, de Nassow, de Ysenburg, de Westirburg, de Runckel, de Limburg, de Dietz, de Katzenelbogen, de Eppenstein, de Falkenstein, item Civitas Maguntinē.

Deinde Comitem Palatinum Reni, Sacri Imperii Archidaphiferum, conducere debet Archiepiscopus Maguntinē.

Ducem vero Saxonie, Archimarecallum Sacri Imperii, tenebitur conducere Rex Boemie, Maguntinē & Magdeburgen Archiepiscopi: Item Bambergē & Herbipolen Episcopi, Marchio Misneū, Lantgravius Hassie; Item Fulden & Hersfelden Abbates; Burggravii Nurembergen. Item illi de Hohenloeh, de Wertheim, de Branecke, de Hanow, de Falckenstein. Item Civitates Erfordia, Molhufen, Nuremberg, Rotemburg & Windesheim: Ethy omnes proxime nominati Marchionem Brandenburgen, Sacri Imperii Archicamerarium, similiter conducere tenebuntur.

Volumus autem & expresse statuimus, ut unusquisque Princeps Elector, qui talem voluerit habere conductum, hys à quibus ipsum postulare decreverit, hoc ipsum adeo tempestivē, viamque, qua fuerit transitus, insinuet, & talem conductum exposcat, ut illi qui ad conductum hujusmodi impendendum deputati, & taliter fuerint requisiti, ad hoc oportune se valeant & comode preparare.

Premislas vero Constitutiones, circa materiam conductus editas, ita sane debere declaramus intelligi, ut unusquisque superius nominatus, vel forsitan non expressus, a quo in casu premislo conductum requiri contigerit, ad prestandum ipsum, per suas dumtaxat terras & territoria, ac etiam ultra, quanto potest remotius, absque dolo, sub penis contentis superius, sit astrictus.

Præterea statuimus & etiam ordinamus, ut Archiepiscopus Maguntinē, qui fuerit pro tempore, singulis Principibus Coelectoribus suis, Ecclesiasticis & Secularibus, electionem eandem per suos Nuncios patentibus debeat literis intimare. In quibus quidem literis talis dies & terminus exprimatur, infra quem eadem litera ad singulos eodem Principes verisimiliter possint pervenire. Hujusmodi vero litera continebunt, ut a die in literis ipsis expressa, inter tres mensē continuos omnes & singuli Principes Electores

Frankenfordie super Mogañ esse debeat constituti, vel suos Legales ad eundem terminum atque locum Nuncios destinare, cum plena & omnimoda potestate fiveque patentibus literis, majori cuiuslibet eorum Sigillo signatis, ad eligendum Romanū Regem in Cesarem promovendum.

Qualiter autem & sub qua forma tales literae confici debeat, & que in eis solemnitas debeat immutabiliter observari, & in qua forma & modo Principes Electores, Nuncios suos ad Electionem hujusmodi destinandos, ac potestate, mandatum seu procuratoria ordinare debuerint, ad finem presentis libri conscriptum invenitur clarius & expressum. Et eadem formam illuc traditam mandamus, & de Imperialis potestatis plenitudine usqueaque decernimus observari.

Cum autem ad hoc per ventum fuerit, quod de Imperatoris vel Regis Romanorum obitu in Diecisi Maguntinē constiterit, ex tunc infra urum mensem, a die notitiae obitus hujus continue numerandum, singulis Principibus Electoribus obitum ipsum, & intimationem, de quibus premittitur, per Archiepiscopum Maguntinē jubemus & decernimus suis patentibus litteris declarari. Quod si idem Archiepiscopus in executione & intimatione hujusmodi negligens aut remissus fortassis existeret: Ex tunc iidem Principes motu proprio, etiam non vocati, pro fidei sue virtute, qua Sacrum prosequi tenentur Imperium, post hoc infra tres menses, sicut in Constitutione supra proxime posita continetur, in Civitate Frankenford sepe dicta convenienter, electuri Regem Romanū in Cesarem promovendum.

Debet autem unusquisque Princeps Elector, vel sui Nuncii, predictam Civitatem Frankenford cum ducentis equitaturis tantummodo prefate Electionis tempore introire, in quorum numero quinquaginta tantum armatos, vel pauciores, introducere secum poterit, sed non plures.

Princeps vero Elector ad electionem hujusmodi vocatus & requisitus, & ad ipsam non veniens vel legales Nuncios cum litteris patentibus Sigillo suo majori sigillatis plenamque & liberam ac omnimodam potestatem continentibus, ad eligendum Romanū Regem futurum Imperatorem non dirigen aut veniens, aut hujusmodi Nuncios forte transmittens, si postea Princeps ipse aut predicti Nuncii, a predicto electionis loco recederent, Rege Romanū futuro Cesare non electo, nec ad premissa Procuratore legitimo substituto solempniter & reliquo, electionis voce seu jure, quod in eadem Electione habuit, & tali modo deseruit, careat ea vice.

Injungimus autem Civibus de Frankenford, & mandamus, ut ipsi universos Principes Electores in genere, & quemlibet eorum, ab invatione alterius, si quid inter eos adversitatis emerget, & etiam ab omni homine cum omnibus corum hominibus, quos ipsi & eorum quilibet in prefato du-

cento-

centorum equorum suorum numero ad prefatam duxerint Civitatem, in virtute juramenti, quod super hoc ipsos ad Sancta prestare statuimus, fideli studio & solerti diligentia protegant ac defendant. Alioquin perjurii reatum incurant, & nichilominus omnia Jura sua, Libertates, Privilegia, Gratiis & Indulta, que a Sacro obtinere noscuntur Imperio, omnino amittant bannumque Imperiale cum personis & bonis suis omnibus incidunt eo ipso: Et liceat ex tunc omni homini auctoritate propria, ac sine judicio Cives eosdem, quos eo casu ex nunc, prout ex tunc, omni Jure privamus, tanquam proditores, infideles & rebelles Imperii, impune invadere: Ita quod invadentes hujusmodi, penam quamcunque a Sacro Imperio, vel quovis alio, nequaquam debeant formidare.

Cives insuper antedicti de Franckenford, per omne tempus illud, quod super electione sepe dicta tractari ac agi contigerit, neminem in prefatam Civitatem, cuiuscunque dignitatis, conditionis vel status extiterit, intromittant, vel intrare quovis modo permittant: Principibus Electoribus & eorum Nunciis & Procuratoribus antedictis duntaxat exceptis, quorum quilibet cum ducentis equis debebit, ut predictitur, intromitti. Si vero post ipsorum Principum Electorum introitum, seu in ipsorum presentia, in prefata Civitate aliquem reperiri contigerit, illius exitum Cives ipsi debebunt absque mora & cum effectu protinus ordinare, sub omnibus penis contra ipsos superius promulgatis, ac etiam in virtute Juramenti, quod Cives ipsi de Frankenford super eo, virtutepresentis constitutionis, prestatre debebunt ad sancta, ut in precedentibus est expressum.

De electione Roman Regis. II.

Postquam autem sepe dicti Electores seu Nunci Civitatem Frankenfordem ingressi fuerint, statim sequenti die diluculo, in Ecclesia sancti Bartholomei Apostoli ibidem, in omnium ipsorum presentia, Missam de Sancto Spiritu faciant decantari ad finem, ut ipse Sanctus Spiritus corda ipsorum illustret & eorum sensibus lumen sue virtutis infundat, quatenus ipsi suo fulti presidio hominem justum, bonum & utilem eligere valeant, in Regem Romani futurumque Cefarem, ac pro salute populi Christiani. Perfecta quoque Missa hujusmodi, omnes illi Electores seu Nunci accedant ad altare, in quo Missa eadem extitit celebrata, ubi Principes Electores Ecclesiastici coram Evangelio beati Johannis In principio erat verbum, quod illic ante ipsos ponit debet, manus suas pectori cum reverentia superponant. Seculares vero Principes Electores dictum Evangelium corporaliter manibus suis tangant, qui omnes cum tota sua familia tunc ibi debebunt inermes

affistere. Et Archiepiscopus Maguntineñ formam juramenti eis dabit, & una cum ipsis, & ipsis, vel absentiū Nuncii una cum eo Juramentum pre-stabant vulgariter in hunc mundum.

Ego N. Archiepiscopus Maguntinenis, Sacri Imperii per Germaniam Archicancellarius ac Princeps Elector, juro ad sancta Dei Evangelia, hic pre-sentialiter coram me posita, quod ego per fidem, qua Deo & Sacro Romano Imperio sum astrictus, eligam secundum omnem discretionem & intellec-tum meum, cum Dei adjutorio eligere volo temporale Caput populo Christiano, id est, Regem Romanorum in Cesarem promovendum, qui ad hoc existat ydoneus, in quantum discrecio & tensus mei me dirigunt, & secun-dum fidem predictam vocemq; meam & votum, seu Electionem prefatam, dabo absque omni paecto, stipendio, precio vel promisso, seu quocunque modo talia valeant appellari, sic me Deus adjuvet & omnes Sancti.

Prestito denique per Electores, seu Nuncios, in forma & modo predi-catis, hujusmodi Juramento, ad Electionem procedant, nec ammodo de jam dicta Civitate Frankenford separantur, nisi prius major pars ipsorum tem-pore caput mundo elegerit, seu populo Christiano, Regem videlicet Ro-manorum, in Cesarem promovendum. Quod si facere distulerint infra triginta dies a die prestiti Juramenti prefati continuo numerandos: Ex tunc transactis eisdem triginta diebus, amodo panem manducent, & aquam, & nullatenus Civitatem exant antedictam, nisi prius per ipsos, vel majorem partem ipsorum, Rektor seu temporale caput fidelium electum fuerit ut pre-fertur.

Postquam autem in eodem loco ipsi vel pars eorum major numero ele-gerit, talis Elec[t]io perinde haberi & reputari debet, ac si foret ab ipsis omniibus, nemine diligente, concorditer celebrata. Sique per tempus ali-quod morari, abesse & tardare contingeret aliquid de Electoribus seu Nunciis antedictis, dum tamen veniret, antequam predicta esset Elec[t]io celebra-ta, hunc ad Electionem ipsam in eo statu admitti debere decernimus, in quo ipsa adventus sui tempore consistebat.

Et quia de antiqua, approbata & laudabile consuetudine inconvulse, quod subscriptitur, semper extitit haec tenus obseruatum: Ideoque & Nos constituimus, & de Imperialis decernimus plenitudine potestatis, quod is, qui modo premisso in Regem fuerit Roman[e] electus, peracta statim electione hujusmodi, priusquam in aliquibus causis aliis five negotiis virtute sacri Imperii administret, universis & singulis Princip. Electorib. Ecclesiasticis & Secularibus, qui propinquiora sacri Imperii membra esse noscuntur, omnia ipsorum Privilegia, Literas, Jura, Libertates, Concessiones, antiquas con-suetudines & etiam dignitates, & quicquid ipsi ab Imperio usque in diem Ele-

Electionis sue obtinuerunt & possederunt , absque dilacione & contradictione confirmare , & approbare debeat , per suas literas & sigilla , ipsisque premissa omnia innovare postquam Imperialibus fuerit Insulis coronatus . Confirmationem autem hujusmodi electus ipse cuilibet Principi Electori in specie primo suo nomine Regali faciet , & deinde sub Imperiali titulo innovabit , & in his ipsis Principes omnes in genere , & quemlibet eorum in specie , nullatenus impedire , sed potius absque dolo gratiose tenebitur promovere .

In casu denique quo tres Principes Electores presentes , seu absentium Nuncii , quantum ex se ipsorum consorcio , videlicet Principem Electorem presentem vel absentem in Regem Romanum eligerent , vocem illius electi , si presens affuerit , aut Nunciorum ipsius , si cum abesse contingeret , plenum vigorem habere & eligentium augere numerum partemque maiorem decernimus constituere , ad instar ceterorum Principum Electorum .

De Sessione Treveren Colon & Maguntin Archiepiscoporum.

Cap. III.

In nomine sancte & individue Trinitatis feliciter , Amen . KAROLUS QUARTUS divina favente clementia Romani Imperator semper Augustus & Boemic Rex ad perpetuam rei memoriam . Decor & gloria sacrosancti Romani Imperii & honor Cesareus & Reipublice grata compendia venerabilium & illustrium Principum Electorum concordi voluntate foventur , qui velut columpne proceres sacrum edificium circumspete prudentie soleriti pietate sustentant , quorum presidio dextra Imperialis potentie roboratur . Et quanto mutui favoris ampliori benignitate stringuntur tanto uberiori pacis & tranquillitatis comoda feliciter profluent populo Christiano . Utigitur inter venerabiles Maguntin Colonien nec non Treveren Archiepiscopos sacri Imperii Principes Electores , omnium litium & suspectuum que & qui de prioritate seu dignitate Sessionum suarum in Curis Imperialibus & Regalibus suboriri valerent imposterum perpetuis in ante temporibus amputentur & ipsi in cordis & animorum queta conditione manentes de opportunitatibus sacri Imperii concordi favore & virtuose dilectionis studio convenientius meditari valeant pro consolatione populi Christiani , habita deliberatione cum omnibus Principibus Electoribus , tam Ecclesiasticis quam Secularibus , & de ipsis consilio , decernimus & de Imperatorie potestatis plenitudine hac editali lege perpetuo valitura sancimus , quod supradicti venerabiles Archiepiscopi Treveren videlicet ex opposito & liniari directione versus Imperatoris faciem : Moguntin vero in

D

suis

suis Diēc & Provincia & extra Provinciam suam in toto Archicancellariatu suo Germanico, provincia Colonieñ duntaxat excepta : & demum Colōn in suis Diēc & Provincia, & extra Provinciam suam in tota Italia & Gallia in dextro latere Rom. Cesaris sedere possint , valeant & debeant in omnibus publicis actibus Imperialibus puta Judiciis , Collationibus feudorum & in refectionibus Menſarum ac etiam in Consiliis & omnibus aliis agendis propter quæ contingit seu continget eodem pro honore seu utilitate Imperiali tractandis mutuo convenire. Et hunc modum Sessionis sub omni co ordine sicut expressatur superius , ad predictorum Colonieñ , Treveren & Maguntiñ Archiepiscoporum successores perpetuo extendi volumus , ut nullo unquam tempore super hys quevis dubietas orietur.

De Principibus Electoribus in communi. Cap. IV.

Statuimus insuper ut quotienscumque Imperialem Curiam ex nunc in an tea celebrati contigerit , in qualibet Sessione , videlicet tam in consilio quam in Mensa , & locis aliis quibuscumque ubi Imperatorem vel Regem Romanum cum Principibus Electoribus sedere contigerit , a dextro latere Imperatoris vel Regis Romanum immediate post Archiep̄m Maguntiñ vel Colonieñ , illum videlicet quem tunc temporis pro qualitate locorum & varietate Provinciarum juxta Privilegii sui tenorem dicto lateri dextro Imperatoris assidere contigerit , Rex Boemicus , cum sit Princeps coronatus & unctus , primum , & post eum continuo Comes Palatinus Reni secundum , sedendi loca debeant obtinere . Ad sinistram vero partem immediate post illum , quem ex predictis Archiepiscopis in latere sinistro sedere continget , primum locum Dux Saxonie & post eum Marchio Brandenburgensis alterum obtinebit .

Ceterum quotiens & quando deinceps sacrum vacare continget Imperium , ex tunc Maguntiñ Archiepiscopus potestatem habebit , sicut potestatem habuisse dinoscitur ab antiquo , ceteros Principes antedictos , suos in dicta Electione confortes literatorie convocandi . Quibus omnibus , seū hys qui poterunt & noluerunt interesse in Electionis termino invicem congregatis , dictus Archiepiscopus Maguntiñ , & non alter , corundem Coelectorum suorum vota singulariter habebit inquirere ordine subsequenti . Primo quidem interrogabit a Treveren Archiepiscopo , cui primam vocem competere declaramus , sicut invenimus haec tenus competitisse . Secundo a Colonienſe Archiepiscopo , cui competit dignitas nec non officium Romanum Regi primum Diadema Regium imponendi . Tertio a Rege Boemicus , qui inter Electores laicos ex Regie dignitatis fastigio jure & merito obtinet primaciam . Quarto a Comite Palatino Reni . Quinto a Duce Saxonie . Sexto a Marchione

chione Brandenburgensi. Horum omnium vota premisso jam ordine dictus Archiepiscopus Maguntinensis perquiret. Quo facto dicti Principes sui consortes ipsum vice verba requirent ut & ipsis aperiatur votum suum. Preterea in celebratione Imperialis Curie Marchio Brandenburg aquam lavandis Imperatoris vel Regis Romanorum manibus ministrabit. Primum vero potum Rex Boemie, quem tamen sub Corona Regali, juxta privilegiorum suorum continentiam, nisi libera voluntate voluerit, non tenebitur ministrare. Comes etiam Palatinus cibum afferre tenebitur: Et Dux Saxonie Marescallatus officium exercebit ut solitum est fieri ab antiquo.

De Jure Comitis Palatini & Saxonie Ducis. Cap. V.

Quotiens insuper, ut premittitur, sacrum vacare continget Imperium, illustris Comes Palatinus Reni sacri Imperii Archidapifer ad manus futuri Regis Romanorum in partibus Reni & Suevie & in Jure Franconico, ratione Principatus seu Coenitatus Palatinus privilegii esse debet provisor ipsius Imperii cum potestate judicia exercendi, ad beneficia Ecclesiastica presentandi, recolligendi redditus & proventus, & investiendi de feudis, juramenta fidelitatis vice & nomine sacri Imperii recipiendi, que tamen per Regem Romanum postea electum suo tempore omnia innovari & de novo sibi juramenta ipsa prestari debebunt, feudis Principum duntaxat exceptis & illis que Vanlehen vulgariter appellantur, quorum investituram & collationem soli Imperator vel Regi Romanus specialiter reservamus. Ipse tamen Comes Palatinus omne genus alienacionis seu obligacionis rerum Imperialium hujusmodi provisionis tempore expresse sibi moverit interdictum.

Et eodem iure provisionis illustrem Ducem Saxonie sacri Imperii Archimarescallum frui volumus in his locis ubi Saxonica jura servantur sub omnibus modis & conditionibus sicut superius est expressum.

Et quamvis Imperator sive Rex Romanus super causis, pro quibus imperitus fuerit, habeat, sicut ex consuetudine introductum dicitur, coram Comite Palatino Reni sacri Imperii Archidapifero Electore Principe respondere: illud tamen judicium Comes Palatinus ipse non alibi preterquam in Imperiali Curia, ubi Imperator seu Romanus Rex presens extiterit, poterit exercere.

De comparacione Principum Electorum ad alios Principes communes. Cap. VI.

Decernimus ut in celebratione Imperialis Curie, quotienscunque illam deinceps celebrari contigerit, antedicti Principes Electores Ecclesiastici

stici & Seculares, juxta prescriptum ordinatum atque modum a dextris & a sinistris, immutabiliter teneant loca sua, eisq; vel eorum alicui in quibusunque actibus ad Curiam ipsam spectantibus eundo, sedendo vel stando, nullus Princeps alius, cuiuscunque status, dignitatis, preeminentie, vel conditionis existat, nullatenus preferatur. Eo signanter expresso, quod nominatim Rex Boemie in celebratione Curiarum hujusmodi, in omnibus & singulis locis & actibus antedictis, quemcunque Regem alium, quacunque etiam singulari dignitatis prerogativa fulgentem, quem quovis casu seu causa venire vel ad eis forte contigerit, immutabiliter antecedat.

De Successione Principum. Cap. VII.

In ter solitudines illas innumeratas quibus pro felici statu sacri Imperii, cui auctore Domino feliciter presideimus cor nostrum cotidie fatigatur, ad hec precipue meditatio nostra dirigitur, qualiter desiderata & salubris semper unio inter sacri Imperii Principes Electores jugiter vigeat & eorum corda in sincere caritatis concordia conserventur quorum providentia sicut tempore orbi fluctuanti tanto celerius tantoque facilius subvenitur, quanto inter eos nullus error surrepserit & purior fuit charitas custodita, obscuritate fuscata & jure cuiuslibet dilucide declarato. Sane generaliter longe lateque est publicum, & quasi per totum orbem notorie manifestum, illustres Regem Boemie, Comitem Palatinum Reni, Ducem Saxonie & March. Brandenb. virtute Regni & Principatum suorum in Electionis Regis Romani in Cesarem promovendi cum ceteris Principib. Ecclesiasticis suis Coelectoribus, ius, vocem & locum habere, & una cum ipsis censeri & esse veros & legitimos sacri Imperii Principes Electores. Ne inter corundem Principum Secularium Electorum filios super jure, voce & potestate prefata futuris temporibus scandalorum & dissensionum possit materia suscitari & sic bonum commune periculosis dilationibus impediti, futuris, auctore Domino, cupientes periculis salubriter obviare: Statuimus & Imperialia auctoritate prefentis lege perpetuis temporibus valitura decernimus, ut postquam idem Principes Electores Seculares & eorum quilibet esse desierit, ius, vox & potestas Electionis hujusmodi ad filium suum primogenitum, legitimum, laicum; illo autem non extante, ad ejusdem primogeniti primogenitum similiter laicum libere & sine contradictione cuiuspiam devolvatur. Si vero primogenitus hujusmodi absque heredibus masculis legitimis laicis ab hac luce migraret, virtute presentis Imperialis editi, ius, vox & potestas Electionis predicte ad seniorem fratrem laicum per veram paternalem lineam descendenter, & deinceps ad illius primogenitum laicum devolvatur. Et talis successio in pri-

primogenitis & heredibus Principum corundem in jure, voce & potestate premillis, perpetuis temporibus obseretur: ea tamen condicione & modo, ut si Principei Electorem seu ejus primogenitum aut filium seniorem laicum mori, & heredes masculos legitimos, laicos, defectum etatis patientes relinqueret contingere, tunc frater senior ejusdem primogeniti, tutor eorum & administrator existat, donec senior ex eis legitimam etatem attigerit, quam in Principe Electore decem & octo annos completos cenfieri volumus & statuimus perpetuo & haberi: quam dum exegerit, jus, voce & potestatem & omnia ab ipsis dependencia tutor ipse sibi totaliter cum officio teneatur protinus affigare.

Si vero aliquem ex hujusmodi Principatibus ipsorum Imperio facro vacare contingere, tunc Imperator seu Rex Roman, qui pro tempore fuerit, de ipso providere debebit & poterit, tanquam de re ad se & Imperium legitime devoluta, salvis semper Privilegiis, Juribus & Consuetudinibus Regni nostri Boemie, super electione Regis in casu vacationis per Regnicolas, qui jus habent eligendi Regem Boemie, facienda juxta continenciam eorundem privilegiorum & observatam confuetudinem diuturnam a divis Roman Imperatoribus sive Regibus obtentorum, quibus ex hujusmodi sanccione Imperiali in nullo prejudicari volumus. Imo ipsa decernimus nunc & perpetuis futuris temporibus in omni suo tenore, & forma, indubiam tenere roboris firmitatem.

De Regis Boemie & Regnolarum ejus immunitate. Cap. VIII.

Cum per divos Roman Imperatores & Reges predecessores nostros illistribus Boemie Regibus, progenitoribus & predecessoribus nostris, nec non Regno Boemie, ejusdemque Regni Corone olim concessum fuerit graciosius & indultum, sitque in Regno eodem a tempore, cuius contraria hodie non existit memoria, confuetudine laudabili inconvulse servata, diuturnitate temporum & prescripta moribus utentum sine contradictionis aut interruptionis obstaculo introductum, quod nullus Princeps, Baro, Nobilis, miles, cliens, Burgenis, Civis, nulla denique persona ejusdem Regiae & pertinenciarum ejus ubicunque consistentium, cujuscunque status, dignitatis, preeminentie vel condicione existat, ad cujuscunque actoris instantiam extra Regnum ipsum ad quocunque tribunal seu alterius preterquam Regis Boemie & Judicium Regalis Curie sue judicium citari potuerit sive trahi nec vocari debeat perpetuis inantea temporibus sive posse. Ideoque privilegium, confuetudinem & indultum hujusmodi auctoritate Imperiali & de Imperialis potestatis plenitudine ex certa scientia innovantes & etiam con-

E

fir-

firmantes ac presenti nostra Constitutione Imperiali perpetuis temporibus valitura statuimus, ut si contra privilegium, consuetudinem vel indultum prefatum, quispiam predictorum, puta Princeps, Baro, Nobilis, miles, cliens, civis, Burgensis seu Rusticus, aut alia quecunque persona premissa, ad cuiuscunque tribunal extra Regnum predictum Boemie, in quaenque causa criminali, civili vel mixta, seu super quocunque negocio citatus fuerit, quocunque tempore vel citata comparere, vel in judicio respondere minime teneatur. Quod si adversus hujusmodi non comparentes, vel non comparantem, a quocunque judge, cuiuscunque auctoritatis existat, extra Regnum ipsum Boemie constituto, judicialiter procedi, processus fieri, seu sententias interlocutorias vel diffinitivas, unam vel plures, in quibuscumque prenominatis causis sive negotiis, quovis modo ferri & promulgari continget, auctoritate premissa, de plenitudine insuper antedictae Imperatorie potestatis, citationes, precepta, processus & sententias hujusmodi, nec non executiones, & omnia que ex eis, vel aliquo corum quomodolibet sequi, attemptari possint vel fieri, irritamus penitus & cassamus. Adjacentes expressi, & editio Imperiali perpetuo valituro eadem auctoritate & de premissa potestatis plenitudine decernentes ut quemadmodum in predicto Regno Boemie, a tempore, cuius contrarii non habetur memoria, jugiter observatum existit: Ita nulli proritis Principi, Baroni, Nobile, militi, clienti, Civi, Burgensi seu Rustico, nulli demum persone seu incole Regni Boemic sepe dicti, cuiuscunque status, preeminencie, dignitatis vel condicionis existant vel existat, a quibuscumque processibus, sententiis interlocutoriis vel diffinitivis, sive preceptis sive fine preceptis Regis Boemie, aut quorumcumque suorum judicium, nec non executionibus eorundem contra se in regali judicio seu coram Regis regni seu predictorum judicum tribunalibus, factis aut latris, habitis vel ferendis in antea seu fiendis, ad quodcumque aliud judicium appellare: provocaciones quoque seu appellaciones hujusmodi, si quas contra hoc interponi contigerit, eo ipso viribus non subsistant, & appellantes ipsi penam perditionis causarum ipso facto se noverint incurrisse.

De auri, argenti & aliarum specierum mineris. Cap. VIII.

Presenti Constitutione in perpetuum valitura statuimus ac de certa scientia declaramus, quod Successores nostri Boemie Reges nec non universi & singuli Principes Electores, Ecclesiastici & Seculares, qui perpetuo fuerint, universas auri & argenti fodinas atque mineras stanni, cupri, plumbi, ferri & alterius cuiuscunque generis metalli, ac etiam salis, tam inventas, quam inveniendas imposterum quibuscumque temporibus, in regno predicto,

dicto, aut terris & pertinenciis eidem Regno subjectis, nec non supradicti Principes in Principatibus, terris, dominiis & pertinenciis suis, tenere juste possint & legitime possidere, cum omnibus iuribus, nullo prorsus excepto, prout possunt seu consueverunt talia possideri. Nec non Judeos habere, thecolonia in preterito statuta & indicta percipere. Quodque progenitores nostri Reges Boemic felicis memorie, ipsique Principes Electores ac progenitores & predecessoribus eorum legitime potuerint usque in prefens, sicut hoc antiqua, laudabili & approbata confuetudine diuturnique ac longissimi temporis cursu prescripta noscitur observatum.

De Monetis. Cap. X.

Sratuimus preterea, ut Regi Boemic successori nostro, qui fuerit pro tempore, sicut constat ab antiquo illustris memorie Boemie Regibus nostris predecessoribus licuisse, & in possessione pacifica continua ipsos fuisse juris subsequentis, videlicet monetas auri & argenti, in omnibus loco & parte regni sui & subditarum ei terrarum, & pertinenciarum omnium, ubi Rex ipse decreverit, sibiique placuerit, eudi facere & mandare sub omni modo & forma atque in regno ipso Boemic, in hys ad hec usque tempora observatis. Quodque futuris perpetuo Boem Regibus hac nostra Imperiali Constitutione & gratia perpetuo valitus, a quibuscumque Principibus, Magnatibus, Comitibus, ac personis aliis, quascunque terras, castra, possessiones siue bona licet emere, comparare, seu in donum vel in donationem ex quacunque causa, aut in obligationem recipere, sub talium terrarum, castorum, possessionum, prediorum seu bonorum condicione confusa, ut videlicet propria recipientur vel comparentur ut propria, libera velut libera, ea que dependent in feudum, similiter emanantur in feudum, seu comparata taliter teneantur: Ita tamen quod ipsi Reges Boemic de hys, que hoc modo comparaverint vel recenterint & regno Boemic duxerint applicanda, ad pristina ac confusa jura de talibus sacro explenda & reddenda Imperio sint adstricti. Presentem nichilominus constitutionem & gratiam virtute presentis legis nostre Imperialis ad universos Principes Electores tam Ecclesiasticos, quam Seculares, successores & legitimos heredes ipsorum plene extendi volumus, sub omnibus modis & conditionibus ut prefertur.

De Immunitate Principum Electorum. Cap. XI.

Sratuimus etiam ut nulli Comites, Barones, Nobiles, Feudales, Vassalli, Castrenses milites, Clientes, Cives, Burgenes, nulle quoque persone

Coloniē, Maguntiē & Treverē Ecclesiis subiecti vel subiecte, cujuscunque status, condicōnis vel dignitatis existant, ad cujuscunque auctoris instantiam, extra territorium & terminos ac limites earundem Ecclesiarum & pertinentiarum suarum ad quodcunque aliud tribunal, seu cuiusvis alterius, preterquam Archiepōrum Maguntiē, Treverē & Coloniē & judicium suorum judicium citari potuerint temporibus retroactis, vel trahi seu vocari debeant perpetuis inantea temporibus sive possint, sicut preteritis invenimus temporibus observatum. Quod si contra prefēs dictū nostrum predictōs Ecclesiarum Treverē, Maguntiē seu Coloniē subditos, vel eorum aliquem seu aliquos, ad cujuscunque instanciam, seu ad cujuscunque tribunal, pro qualcumque causa criminali, civili vel mixta, seu quocumque negocio, extra territorium, limites, seu terminos dictarum Ecclesiarum, vel alicujus earum, citari contigeret, comparere vel respondere minime teneantur, & citatio, ac processus & sententia interlocutorie vel diffinitive contra non venientes a talibus judicibus extraneis late vel facte, siende vel ferende, nec non precepta & premissorum executiones, & omnia que ex eis vel aliquo eorum quomodolibet sequi attemptari possent vel fieri, irrita decernimus eo ipso. Adjicientes expreſſe, quod nulli Comiti, Baroni, Nobili, Feudali, Vasallo, castrensi militi, clienti, civi, rustico, nulli demum perfōne Ecclesiis hujusmodi subiecte seu eius incole, cujuscunque status, dignitatis vel condicōnis existant, a processibus, sententiis interlocutoriis & diffinitiis sive preceptis Archiepōrum & Ecclesiarum hujusmodi, vel suorum officiatorum temporalium aut executoribus corundem contra se in Archiepali seu Officiatorum predictōrum iudicio factis aut lati, habitis vel ferendis inantea, seu fiendis, ad quodcunque tribunal aliud liceat appellare, quamdiu in Archiepōrum predictōrum & suorum iudicio querulantibus, non fuerit iusticia denegata. Appellationes contra hoc factas non recipi statuimus cassasque & irritas nunciamus. In defectu vero iusticie predictis omnibus ad Imperiale dumtaxat curiam & tribunal seu Judicis immediate in Imperiali Curia pro tempore presidentis audienciam: & etiam eo casu non ad quemvis alium Judicem sive etiam delegatum, hys quibus denegata fuerit iusticia, liceat appellare. Quidquid vero contra premissa factum fuerit, sit irritum eo ipso.

Eandem constitutionem virtute presentis legis nostre Imperialis ad Illustres Comitem Palatinum Reni, Dicem Saxonem, Marchionem Brandenburgiē Principes Electores ſeculares sive laicos, heredes, succelfores & subditos eorum plene extendi volumus, sub omnibus modis & condicōnibus, ut prefertur.

De

De Congregatione Principum. Cap. XII.

Inter illas multiplices Reipublice curas, quibus assidue mens nostra distrahit, multa consideracione necessarium fore perspexit nostra Sublimitas, ut facri Imperii Principes Electores, ad tractandum de ipsius Imperii, Orbisque salute frequentius solito congregentur: qui solide bases Imperii & columpne immobiles, quemadmodum per longinas ad invicem terrarum consistunt distancias, ita de incumbentibus regionum sibi cognitarum defectibus referre simul & conferre noverunt, sanisque providencie sue consilii non ignorant ac commodis talium Reformacionibus salubriter opem dare. Hinc est quod in solemni Curia nostra Nuremberg cum venerabilibus Ecclesiasticis & Illustribus Secularibus Principib⁹ Electoribus & multis aliis Principibus & Proceribus per nostram Celsitudinem celebrata, habita cum eisdem Principibus Ele⁹torib⁹ deliberacione & de ipsorum consilio, pro bono & salute communis cum dictis Principibus Ele⁹toribus tam Ecclesiasticis, quam Secularibus duximus ordinandum, quod iidem Principes Electores de cetero per singulos annos semel, transactis a festo Pasche resurrectionis Dominice quatuor septimanis continue connumerandis, in aliqua Civitatum sacri Imperii personaliter congregentur, & ad idem tempus proxime affuturum, seu anno presenti, colloquium seu Curia & congregatio hujusmodi in Civitate nostra Imperiali Metensi, per nos & eosdem Principes celebretur, ac tunc & deinceps die quolibet congregationis hujusmodi locus per Nos, quo sequenti anno convenienter, ipsorum consilio statuatur: hac nostra ordinacione ad nostrum ac ipsorum dumtaxat beneplacitum duratura. Qua durante ipsos sub nostro Imperiali conductu recepimus ad dictam Curiam accedendo, stando & etiam recedendo. Preterea ne tractatus communis salutis & pacis per tractum & moram solaci⁹ seu excessivam frequentacionem convivii retardetur, ut aliquando fieri est confuetum, concordi voluntate duximus ordinandum, ut deinceps Curia seu Congregatione prefata durante generales omnium Principum celebrare alicui non liceat invitatas: particulares vero, que agendorum expedicionem non impedian, cum moderamine sint permisit.

De Revocatione Privilegiorum.

Preterea statuimus & hoc Imperiali sanctissimus Edicto, quod universa Privelegia & Littere, quibuscumque personis, cujuscunque status, preeminentie vel dignitatis existant, seu civitatum & opidorum & quorumlibet locorum universitatibus, super quibuscumque juribus, gracis, emunitatibus,

consuetudinibus seu rebus aliis etiam proprio motu, seu alias a nobis vel recolende memorie divisi Romani Imperatoribus & Regibus predecessoribus nostris, sub quibusunque verborum tenoribus concessa & concessae, seu a Nobis vel successoribus nostris Romani Imperatoribus & Regibus in antea concedenda seu concedende, non debeant aut possint libertatibus, iurisdictionibus, juribus, honoribus seu dominiis Principum Electorum Sacri Imperii, Ecclesiasticorum & Secularium, aut alicuius ipsorum, in aliquo penitus derogare, etiam si in talibus Privilegiis & Litteris quarum liber per sonrum cuiuscunque preminente, dignitatis vel status extiterint, ut prefertur, seu universitatum hujusmodi, expresse cautum sit vel fuerit in futurum, quod revocabilia seu revocabiles esse non debeant nisi de ipsis & toto in eis comprehenso tenore in tali revocatione fieret de verbo ad verbum scriptum mencio specialis. Hujusmodi namque Privilegia & Litteras, si & in quantum libertatibus, iurisdictionibus, juribus, honoribus, seu dominiis dictorum Principum Electorum, aut alicuius ipsorum, derogare censentur in aliquo, quo ad hoc revocamus ex certa scientia & cassamus, revocataque & revocatas intelligi & haberri decernimus de plenitudine Imperatorie potestatis.

De Hys quibus ut indignis auferuntur bona feudalia.

In plerisque partibus Vasalli & Feudatarii, Dominorum feuda seu beneficia que a Dominis ipsis obtinent, intempestive, verbaliter & in fraude renunciant, seu resignant eadem; Et facta renunciacione hujusmodi Dominos ipsis maliciole diffidant, suasque inimicicias eis denunciant, dampna ipsis subsequenter gravia inferendo, & beneficia seu feuda sic relicta, pretextu guerre seu inimicicie, iterum inyadunt, & occupant ac detinent occupata. Eapropter presenti Constitutione in perpetuum valitura sancimus, quod talis resignacio seu renunciatio haberri debeat pro non facta, nisi libere & realiter facta fuerint per eosdem, ita quod possessio beneficiorum & Feudorum hujusmodi Dominis ipsis corporaliter & realiter assignetur, in tantum quod nullo unquam tempore diffidantes ipsi in bonis, feidis seu beneficiis resignatis, Dominos ipsos perturbent per se, vel alios, aut molestent, nec ad consilium prestant auxilium vel favorem. Contrarium faciens, seu Dominos suos in beneficiis & feudis resignatis vel non resignatis, invadens, quomodolibet vel perturbans, vel dampna in ipsis inferens, seu consilium auxilium prestans talia facientibus vel favorem, feuda & beneficia hujusmodi eo ipso amittat, infamis existat, & banno Imperiali subjeat, & nullus ad feuda vel beneficia hujusmodi pateat ei de cetero quoque tempore aditus vel regressus, nec de novo concedi sibi valeant ullo modo, & facta eis

eis contra hoc illorum concessio seu investiturā secuta viribus non subsistat. Postremo omnes penas predictas illos vel illum qui predicta resignacione facta, contra Dominos tuos fraudulenter agentes vel agens, scienter eos invaserint, vel invaserit, diffidacione quacunque previa, vel obmissa, vigore presentis Sanctionis incurtere decernimus ipso facto.

De Conspiratoribus.

Detestantas preterea, & sacris legibus reprobatas conspiraciones & conventicula seu colligaciones illicitas, in civitatibus & extra, & inter Civitatem & Civitatem, inter personam & personam sive inter personam & civitatem, pretextu parentele seu receptionis in Cives, vel alterius cuiuscunq[ue] coloris conjurationes, insuper & confederationes & pacta, nec non & consuetudinem circa hujusmodi introductam, quam censemus potius corruptelam, reprobamus, dampnamus & certa scientia irritamus, quas Civitates seu Persone, cuiuscunq[ue] dignitatis, condicionis, aut status, sive inter se, sive cum aliis, absque autoritate Dominorum, quorum subditi vel ministeriales, seu in quorum districtu consistunt, eisdem Dominis nominati non exceptis fecerunt haec tenus, & facere presumperint in futuro, sicut eas per sacras divorum Augultorum predecessorum nostrorum leges prohibitas non ambigitur & caffatas. Illis confederationibus & ligis dumtaxat exceptis, quas Principes & Civitates ac alii super generali Pace Provinciarum atque Terrarum inter se firmasse noscuntur. Illas enim nostre declaracioni specialiter reservantes in suo decernimus vigore manere, donec de his aliud duxerimus ordinandum. Personam singularem, que de cetero contra tenorem presentis Constitutionis nostre ac legis antique super hoc edite, confederationes, colligaciones, conspiraciones & pacta hujusmodi inire presumperint, ultra penam legis ejusdem, notam infamie & penam decem librarum auri; Civitatem vero, vel Universitatem in hanc legem nostram similiter committentem centum librarum auri, nec non amissionis & privacionis libertatum & privilegiorum Imperialium penas incurre decernimus eo ipso, medietate pene hujusmodi pecuniarie fisco Imperiali, reliqua vero Domino districtus, in cuius prejudicium facta fuerint, applicanda.

De Pfalzburgeriis.

Ceterum, quia nonnulli Cives & subditi Principum, Baronum & aliorum hominum, sicuti frequens ad nos querela perduxit, jugum ordinarie subjectionis querentes adjicere, ymmo ausu temerario contempnentes, in aliarum Civitatum cives recipi se procurant, & frequentius in preterito

procurarunt ; Et nihilominus in priorum Dominorum, quos tali fraude presumperunt vel presumunt deserere, Terris, Civitatibus, Oppidis & Vil- lis, corporaliter residentes, Civitatum, ad quas hoc modo se transferunt, liberratibus gaudere & ab eis defensari contendunt, qui in partibus Alamaniæ Pfalburgerii consueverunt vulgariter appellari. Quoniam igitur patrocinari non debeant alicui fraus & dulos, de Imperatorie potestatis plenitudine, omnium Principum Electorum Ecclesiasticorum & Secularium fano accedente consilio, ex certa scientia statuimus & presenti lege perpetuo valitudo sanccimus, quod predicti Cives & Subditi, eis quibus subsunt, taliter illudentes, in omnibus terris, locis & provinciis sacrâ Imperii, a presenti die imposterum, Civitatum in quarum cives tali fraude recipi se procurant vel haec tenus procurarunt, juribus & libertatibus in nullo potantur; Nisi ad hujusmodi Civitates corporaliter & realiter transeuntes ibique larem foventes, continue & vere acnon facte residentiam facientes, debita onera & municipalia subeant munera in eisdem. Si qui vero contra presentis nostre legis tenorem recepti sunt vel fuerint in futurum, illorum receptione omni caret firmitate, & recepti, cujuscumque condicionis, dignitatis aut status existant, in nullo casu penitus sive causa, Civitatum, ad quas recipi se procurant, juribus & libertatibus gaudeant, quomodolibet vel fruantur : non obstantibus quibuscumque iuribus, privilegiis vel confuetudinibus observatis, quandocunque tempore & obtentis. Quas & que, in quantum presenti nostre legi obviant, presentibus ex certa scientia revocamus & de predictâ Imperiali plenitudine potestatis, omnique carere decernimus robore firmitatis. Circa premissa omnia Principum, Dominorum & aliorum hominum, quostaliter deferi contigit vel contingat imposterum, juribus circa personas & bona subditorum quoruncunque, ipsos saepè dicto modo deferentium, semper salvis : Hos nichilominus qui saepè dictos Cives & subditos alienos recipere, contra presentis nostre legis dispositionem presumperint, si eos omnino non dimiserint infra mensam, post intimacionem presentium eis factam, centum marcas auri puri pro transgressione hujusmodi, tociens quociens deinceps factum fuerit, incurtere decernentes, quarum medietas Imperiali fisco nostro, reliqua vero dominis illorum, qui recepti fuerint, irremissibiliter applicetur.

De Diffidacionibus.

Eos, qui de cetero adversus aliquos justam diffidacionis causam se habere fingentes, ipsos in locis, ubi domicilia non obtinent, aut ea communiter non inhabitant, intempestive diffidant, declaramus dampna quecumque per incendia, spolia vel rapinas, diffidatis ipsis, cum honore suo inferre non posse.

posse. Et quia patrocinari non debent alicui fraus & dolus, presenti Constitutione in perpetuum valitura fancockimus, diffidantes hujusmodi, quibus-
cunque Dominis aut personis, cum quibus aliqui fuerint in societate, familiari-
tate, aut honesta quavis amicitia converfati, sic factas vel fiendas impo-
sterum non valere, nec licere pretextu diffidacionis cuiuslibet quempiam
invadi, per incendia, spolia vel rapinas, nisi diffidacio per tres dies naturales
ipsi diffidando personaliter, vel in loco quo habitare consuevit, publice fue-
rit intimata, possitque de intimacione hujusmodi per testes ydoneos fieri
plena fides. Quisquis secus quempiam diffidare & invadere modo premis-
so presumpserit, infamiam eo ipso incurrat, ac si nulla diffidacio facta esset;
quem etiam, tanquam proditorem, per quoscunque Judices penis legalibus
statuimus castigari.

Prohibemus etiam & dampnamus universas & singulas guerras & lites
injustas, cuncta quoque incendia injusta, spolia & rapinas, indebita & in-
consueta theloncea, & conductus, & exactiones pro ipsis conductibus ex-
torqueri consuetas, sub penis, quibus sacre leges premissa & eorum quodli-
bet fancockiunt punienda.

Littera Intimationis.

VObis Illustri & Magnifico Principi, Domino Marchioni Brandembur-
geni Sacri Imperii Archicamerario, Coelectori & amico nostro carissi-
mo, Elecio Romani Regis, que ex causis rationabilibus imminet, facienda
presentibus intimamus, vosque ex officiis nostris debito ad Electionem prefatam
rite vocamus, quatenus à die tali &c. intra tres mensēs continuo com-
putandos, per Vos seu Nuncios aut Procuratores vestros, unum vel plures,
sufficiens mandatum habentes, ad locum debitum, juxta formam sacrarum
legum super hoc editarum, venire curatis, deliberaturi, tractaturi & con-
cordaturi cum aliis Conprincipibus & Coelectoribus vestris & nostris de
Electione futuri Regis Roman, in Imperatorem postmodum favente Do-
mino promovendi, in eodem mansuri usque ad plenam consummacionem
electionis hujusmodi, & alias facturi & processuri, prout in sacris legibus
super hoc deliberate editis inventur expressum. Alias non obstante vestra
seu Vestrorum absentia, in premissis una cum aliis Conprincipibus & Elec-
toribus nostris, prout legum ipsarum fancockivit auctoritas, finaliter proce-
demus.

*Forma procuratorii, mittendi per eum Principem Electorem, qui Nuncios
suos ad Electionem faciendam duxerit destinandum.*

Nostralis De gratia, &c. Sacri Imperii, &c. Notum facimus tenore presen-
tium universitatis, quod cum electio Romani Regis ex rationabilibus cau-
sis

sis imminet facienda, nos de honore & statu Sacri Imperii solicitudine debita intendere cupientes, ne tam gravibus dispendiis periculoſe subjaceat, de fide & circumspectionis industria dilectorum nobis, N. & N. fidelium nostrorum obtinentes utique presumptionis indubie fiduciam singularem, ipſos & quemlibet eorum in solidum, ita quod non sit melior conditio occupantis, sed quod per unum incepturn fuerit, per alium finiri & licite terminari, omni jure, modo & forma, quibus melius & efficacius possumus seu valemus, noſtros veros & legittimos Procuratores & Nuncios ſpeciales facimus, conſtituimus & ordinamus ad tractandum ubilibet una cum aliis Conprincipibus & Coelectoribus noſtris, tam Ecclesiasticis quam Secularibus, & cum ipſis concordandum, conueniendum & concludendum de perſona quaunque habili & idonea in Regem Romān eligenda, & ipſis tractatibus ſuper Electione talis perſone habendis, pro nobis loco & nomine noſtris intereffendum, tractandum & deliberandum, nec non vice & nomine noſtris eandem perſonam nominandum & in ipſam conſentendum, ac etiam in Regem Romān promovendum, ad Sacrum Imperium eligidum, ac in animam noſtram preſtantum quodcumque juramentum neceſſarium debitum, ſeu conſuetum fuerit, circa premissa & quodlibet premissorum, alium vel alios procuratores in solidum ſubstituendum & revocandum, & non omnia & ſingula faciendum, que in premissis, & circa premissa, etiam uſque ad consummacionem tractatum, nominacionis, deliberacionis & eleccioñi hujusmodi, de preſenti faciendo neceſſaria aut utilia fuerint, ſeu etiam quomodolibet oportuna: etiamſi premissa, vel corum quodlibet mandatum exigant ſpeciale, etiamſi majora, vel magis ſingularia fuerint ſupradictis, & que noſmet ipſi facere poſſemus, ſi hujusmodi tractatiuſi delibera- cionis, nominacionis & electionis future negotiis preſentes & personaliter adersemus. Gratum & ratum habentes & habere volentes & nos perpetuo habitu roſſim firmiter promittentes, quicquid per ante dictos Procuratores ſeu Nuncios noſtros, nec non ſubstitutos aut ſubſtituendos ab ipſis, ſeu eorum altero, in premissis ſeu premissorum quomodolibet, auctum, geſtum, ſeu fa- Etum fuerit, aut quomodolibet ordinatum.

De unione Principatum Electorum, & iurium eis connexorum.

CUm universi & ſinguli Principatus, quorum virtute ſeculare Principes Electores juſ & vocem in electione Regis Romān, in Cesarem promovendi, obtinere noſcuntur, cum jure hujusmodi, nec non officiis, dignitatibus & juſribus aliis, eis & cui libet eorum annexis & dependentibus ab eisdem adeo coniuncti & inseparabiliter ſint uniti, quod juſ, vox, officium & dignitas, alia quoque jura ad quemlibet Principatum corundem ſpectantia, ca- dere

dere non possint in alium, preter illum qui Principatum ipsum cum terra, valla-giis, feudiis & dominio, ac eius pertinentiis universis, dino scitur possidere: Presenti Edicto Imperiali perpetuo valituro sanccimus, unumquemque Principatum predictorum, cum jure & voce Electionis, ac officio, ceterisque omnibus dignitatibus, juribus & pertinentiis ad ipsum spectantibus, ita perseverare & esse debere unitum perpetuis temporibus indivisibili-
ter & conjunctum, quod possessor Principatus cuiuslibet, etiam juris, vocis, officii, dignitatis & pertinentiarum omnium ad illum spectantium, quieta debeat ac libera possessione gaudere, ac Princeps Elector ab omnibus repu-tari, ipseque & nemo aliis per ceteros Principes Electores ad Electionem & omnes actus alios, pro Sacri Imperii honore vel oportunitate gerendos, omni tempore assumi sine contradictione qualibet & admitti, nec aliquid premissorum ab altero, cum sint & esse debeat inseparabilia, dividi, vel ullo tempore debeat separari, aut in judicio, vel extra, divisim repeti valeant, aut evinci, vel etiam per sentenciam separari, nec aliquis unum sine alio im-petens audiatur. Quod si per errorem vel alias auditus quis fuerit, aut pro-cessus, judicium, sententia, vel aliquid hujuscemodi, contra presentem dispositionem nostram emanaverit, seu quomodolibet attemptari contige-rit, hoc totum, & omnia ex his & quolibet eorum sequentia eo ipso viribus non subsistant.

De ordine processionis inter Archiepiscopos.

Quoniam autem superius in principio Constitutionum nostrarum pre-sentium, circa ordinem sessionis Ecclesiasticorum Principum Elec-to-rum in consilio & in mensa, & alias quo ciens Imperiale Curiam celebrari, seu Principes Electores deinceps cum Imperatore vel Rege Romani congregari contigerit, sufficienter duximus providendum, super quae priscis audi-vimus temporibus pluries discrepatum: Expedire credimus eciam proce-sionis & deambulationis inter eos ordinem diffinire. Quapropter hoc perpetuo Imperiali Edicto decernimus, ut quotienscumque in congregatio-ne Imperatoris vel Regis Romani, & Principum predictorum, Imperatore vel Regi ipso deambulante, insignia ante faciem suam portari contigerit, Archiepiscopus Treverensis in directa diametrali linea ante Imperatorem vel Re-gem transeat, illique soli medii inter eos ambulent, quos Imperialia vel Regalia contingat Insignia deportare. Dum autem Imperator vel Rex absque Insigniis eisdem incesserit; Ex tunc idem Archiepiscopus Imperatorem vel Re-gem prefato modo precedat, ita quod nemo penitus inter eos medius habe-a-tur, aliis duobus Archiepiscopis Elektoribus loca sua juxta distinctionem Provin-ciarum suarum, circa sessionem superius declaratam, eciam circa processio-nem perpetuo servaturis.

*De ordine processionis Principum Electorum, & per quos
Insignia deportentur.*

Ad declarandum autem in Imperatoris vel Regis Romani deambulantibus prefencia, processionis ordinem Principum Electorum, de quo supra fecimus mentionem, statuimus, ut quotienscumque in celebracione Imperialis Curie, Principes Electores cum Imperatore vel Rege Romani in quibuscumque actibus vel solempnitatibus, processioniliter ambulare contigerit, & Imperialia vel Regalia debuerint insignia deportari, Dux Saxonie Imperialem ensim deferens Imperatorem seu Regem immediate precedat, & inter illum & Archiepiscopum Treveren medius habeatur: Comes vero Palatinus pomum Imperiale portans a latere dextro: & Marchio Brandenburgensis sceptrum deferens a sinistro latere ipsius Ducis Saxonie linealiter gradiantur. Rex autem Boemie Imperatorem seu Regem ipsum immediate, nullo interveniente, sequatur.

De benedictionibus Archieporum in presentia Imperatoris.

Quocies insuper in Imperatoris vel Regis Romani presencia Missarum solempnia celebrari, ac Maguntinensis, Treverensis, & Colonensis Archiepiscopos, vel duos ex eis adesse contigerit, in confessione, que ante Missam dici coniuvit, ac in correctione Evangelii osculandi & Pace post Agnus Dei portanda, nec non in benedictionibus post finita Missarum solempnia aceciam ante mensam faciendis, & in gratiis post cibum acceptum agendis, is inter eos ordo servetur, prout de ipsorum consilio duximus ordinandum, quod primadie hec omnia & singula a primo, secunda die a secundo, tertia vero a tertio peragantur. Primum autem vel secundum, seu tertium, hoc casu, secundum quod prius vel posterius quilibet eorum consecratus existit, debere intelligi declaramus. Et ut se invicem honore condigno & decenti preveniant & exemplum aliis prebeant invicem honorandi: Is, quem circa premissa ordo tetigerit, ad hec alterum connivencia & caritativa inclinacione invitet, & tunc demum ad premissa procedat seu quodlibet premissorum. *Infra scripte leges promulgatae sunt in Curia Metensi per Dominum Karolum IV. Imperatorem Rom. & Boemiam Regem Augustum, Anno Domini M CCC LVI. Assistentibus filiorum omnibus Sac. Rom. Imperii Electoribus, Principibus & presentibus Dominis, Venerabilis in Christo Patre, Domino Theodorico Episcopo Albanensi, Sancte Romane Ecclesie Cardinali, ac Carolo Regis Francie primogenito, Normandie Duce illustri ac Delfino VVienensi, in die Nativitatis Christi.*

Si quis cum Principibus, Militibus vel privatis, seu quibuscumque personis, plebeis etiam, scelestam factionem aut factionis ipsius inierit sacramentum,

mentum, vel dederit, de nece Venerabilium & illustrium nostrorum & Sacri Romani Imperii, tam Ecclesiasticorum quam Secularium Principum Electorum, seu alterius eorundem: Nam & ipsi pars corporis nostri sunt. Eadem enim /veritate voluntatem sceleris, qua effectum puniri jura voluerunt: Ipse quidem, utpote Majestatis reus gladio ferriatur, bonis ejus omnibus Fisco nostro addictis. Filii vero ejus, quibus vitam Imperiali specialiter lenitate concedimus, paterno enim deberent perire suppicio, in quibus paterni, hoc est hereditarii criminis, metiuntur exempla, a materna vel avita, omni eciam proximorum hereditate & successione, habeantur alieni: Testamentis aliorum nihil capiant, sint perpetuo egentes & pauperes: Infamia eos paterna semper comitetur, ad nullum unquam honorem, nulla prorsus Sacra menta, perveniant: Sint postremo tales, ut hys perpetua egestate for dentibus sit & mors solacium & vita supplicium. Denique jubemus, eos esse notabiles sine venia, qui pro talibus unquam apud nos intervenire attempaverint. Ad filias sane eorum, quolibet numero fuerint, Falcidiam tantum ex bonis matris, sive testata sive intestata defecerit, volumus pervenire, ut habeant mediocrem potius filie alimoniam quam integrum emolumen tum, aut nomen heredis consequantur. Mitior enim circa eas debet esse sentencia, quas pro infirmitate Iesus minus auctoritas esse confidimus. Emancipaciones quoque, que a predictis, sive in filios, post legem duntaxat latam, sive in filias fuerit collata, non valeat. Dotes, donationes quorumlibet, postremo item alienationes, quas ex eo tempore, qualibet fraude vel jure factas esse constiterit, quo primum memorati de incunda faccione ac societate cogitaverint, nullius statuimus esse momenti. Uxores sane predictorum, recuperata dote, si in ea conditione fuerint, ut que a viris titulo donacionis acceperunt, filiis debeant reservare, tempore quo ususfructus absumitur, omnia ea fisico nostro se relicturas esse cognoscant, que juxta legem filiis debabantur: Falcidia eciam, ex hys rebus filiabus tantum, non eciam filiis deputetur. Item quod de predictis eorumque filiis cayimus, eciam de fatellitibus, consciis ac ministris filiisque eorum simili /veritate censemus. Sane si quis ex hys in exordio inite faccionis, studio vere laudis accensus, ipse prodiderit faccionem, & primo a nobis & honore donabitur. Is vero qui usus fuerit faccione, si vel sero, tamen incognita adhuc consiliorum arcana patefecerit, absolucione tamen ac venia dignus habebitur. Statuimus insuper, ut si quid contra predictos Principes Electores, Ecclesiasticos vel Seculares commissum dicatur, eciam post mortem rei id crimen instaurari posse. In hoc item crimine, quod ad lEFAM in Principibus Electoribus suis Majestatem pertinet, eciam in caput Domini servi torquentur.

Volumus insuper ac presenti Imperiali sanctionatus Edicto, ut eciam post

H

mor-

mortem nocentium hoc crimen inchoari possit, aut convicto mortuom
memoria ejus dampnetur, & bona ejus successoribus ejus eripiantur. Nam ex
quo sceleratissimum quis ceperit consilium, exinde quodammodo sua men-
te punitus est. Porro ex quo quo tale crimen contraxit, neque alienare ne-
que manumittere eum posse, nec ei solvere jure debitorem decernimus. In
hac causa in caput Domini servos torqueri statuimus, id est propter causam
facionis dampnande contra Principes Electores Ecclesiasticos & Seculares,
ut premititur. Et si decesserit quis propter insertam personam successoris
bona serventur, si in causa hujusmodi fuisse mortuus arguatur.

Si ceteros Principatus congruit in sua integritate servari, ut corrobore-
tur justicia & subiecti fideles pace gaudeant & quiete: Multo magis magni-
fici Principatus, Dominia, Honores & Jura Electorum Principum debent
illefa servari. Nam ubi majus incumbit periculum, majus debebit remedium
adhiberi, ne columpnis ruentibus basi totius edificii collidatur. Decerni-
mus igitur & hoc perpetuis temporibus valituro sanctissimus Edicto, quod
ex nunc inantea perpetuis futuris temporibus insignes & magnifici Princi-
patus, videlicet Regnum Boemie, Comitatus Palatinus Reni, Ducatus Sa-
xonie & Marchionatus Brandenburgen, terre, districtus, homagia, vasalla-
gia & alia quevis ad ipsa spectantia, scindi, dividi seu quavis condicione di-
membrari non debeat, sed ut potius in sua perfecta integritate perpetuo
mancant. Primogenitus filius succedat in eis, sibique foli jus & dominium
competat, nisi forsitan mente captus, fatius seu alterius famosi & notabilis
defectus existeret, propter quem non deberet seu posset hominibus princi-
pari. In quo casu inhibita sibi successione secundogenitum, si fuerit in ea
progenie, seu alium seniorem fratrem, vel consanguinem laicum, qui paterno
stipiti in descendenti recta linea proximior fuerit, volumus successorum.
Qui tamen apud alios fratres & sorores se clementem & ipsum exhibebit con-
tinuo, juxta datam sibi a Deo gratiam & juxta suum beneplacitum & ipsius
patrimonii facultates, divisione, scissione seu dimembracione Principatus
& pertinentiarum ejus sibi modis omnibus interdicta.

Diequa solemnis Curia Imperialis vel Regia fuerit celebranda, veniant
circa horam primam Principes Electores Ecclesiastici & Seculares ad do-
mum habitationis Imperialis, sive Regalis, & ibi Imperator vel Rex ipse,
omnibus Insigniis Imperialibus induetur, & ascensio equis omnes vadant
cum Imperatore, vel Regem ad locum Sessionis aptate, & ibit quilibet eorum
in ordine, & modo, supra in lege de ordine processionis ipsorum Principum
Electorum plenius diffinito. Portabit etiam Archicancellarius, in cuius
Archicancellariatu hec fuerint, super Baculo argento, omnia Sigilla & Ty-
paria Imperialia sive Regalia. Seculares vero Principes Electores sceptrum,
pomum,

pomum, ensem, secundum quod superius exprimitur, deportabunt. Portabuntur eciam immediate ante Archiepum Treveren, suo loco transcurrentem, primo Aquigranen, secundo Mediolanen corona: & hoc ante Imperatorem duntaxat, qui jam Imperialibus est infulis decoratus, quas gestabunt aliqui Principes inferiores, ad hoc per Imperatorem juxta placitum deputandi.

Imperatrix eciam vel Regina Romana suis augustalibus amicta insigniis, post Regem vel Imperatorem Romani, & eciam post Regem Boem, qui Imperatorem immediate subsequitur, competentis spaci intervallo, suis associata Proceribus suisque comitata Virginibus, ad locum sessionis procedat.

De officiis Principum Electorum in solemnis Curia Imperatorum vel Regum Roman.

Sratuimus, ut quandocumque Imperator vel Rex Romani solemnes Curias suas celebraverit, in quibus Principes Electores sua deservire seu exercere debent officia, sublcriptus in hys ordo servetur. Primo enim, Imperatore vel Rege ipso in sede Regia sive Solio Imperiali sedente, Dux Saxonie officium suum agat hoc modo. Ponetur enim ante edificium sessionis Imperialis vel Regie, acervus avene tante altitudinis, quod pertingat usque ad peccus, vel antelam equi, super quo sedebit ipse Dux, & habebit in manu baculum argenteum, & mensuram argenteam, que simul faciant in pondere duodecim marcas argenti, & sedens super equo, primo mensuram eandem de avena plenam accipiet & famulo primitus venienti ministrabit eandem. Quo facto, figendo baculum in avenam recedet, & Vicemarescallus ejus, puta de Pappenheim, accedat, vel eo absente Marescallus Curie ulterius avenam ipsam distribuet.

Ingresso vero Imperatore vel Rege, ad mensam, Principes Electores Ecclesiastici, videlicet Archiepiscopi, stantes ante mensam cum ceteris Prelatis, benedicent eandem, secundum ordinem, qui circa hec eis in superioribus est prescriptus, & benedictione completa, iidem Archiepiscopi omnes, si adiungunt, alioquin duo, vel unus, Sigilla & Typaria Imperialia sive Regalia a Cancellario Curie recipient, coequi, in cuius Archicancellariatu Curiam ipsam celebrari contingat, in medio procedente, & aliis duobus exalteretro latere sibi junctis, Sigilla & Typaria ipsa, omnes quidem baculum, in quo suspensa fuerint, manibus contingentes, ea portabunt, & ante Imperatorem vel Regem reverenter ponant in mensa. Imperator vero, sive Rex, eadem ipsis statim restituet, & in cuius Archicancellariatu hoc fuerit, ut preferatur, is majus Sigillum collo appensum usque ad finem mense gestabit, & deinceps donec ad hospitium suum perveniat ab Imperiali, sive Regali Curia

equitando. Baculus vero, de quo premititur, esse debet argenteus, duodecim marcas argenti habens in pondere: cuius tam argenti quam pretii partem terciam unusquisque Archicōporum ipforum persolvet. Et baculus ipse protinus una cum Sigillis & Typariis debet Cancellario Imperialis Curie assignari in usus suos beneplacitos convertendos. Postquam autem is, quem ordo tetigerit, portando Sigillum majus ab Imperiali Curia ad hospitium suum redierit, ut preferatur, itatin Sigillum ipsum, per aliquem de suis familiaribus, predictō Imperialis Curie Cancellari remittet super equo, quem juxta proprię dignitatis decenciam & amorem, quem ad Cancellarium Curie gesserit, ipsi Cancellario tenebitur elargiri.

Deinde Marchio Brandenburgen Archicamerarius, accedat super equo, habens argenteas pelves cum aqua in manibus, ponderis duodecim marcarum argenti, & pulcrum manutergium, & descendens ab equo dabit aquam Domino Imperatori vel Regi Romani manibus abluendis.

Comes Palatinus Renii intrabit similiter super equo, habens in manibus quatuor scutellas argenteas, cibis impletas, quarum quelibet tres marcas habeat in statera, & descendens ab equo portabit & ponet ante Imperatorem vel Regem in mensa.

Post hoc Rex Boemie, Archipincerna, veniat similiter super equo, portans in manibus Cuppam seu cifum argenteum, ponderis duodecim marcarum, coopertum, vino & aqua permixtum impletum, & descendens de equo, cifum ipsum Imperatori vel Regi Romani porrigit ad bibendum.

Sicut autem haec tenus observatum fuisse comperimus, ita statuimus, ut peractis per Principes Electores Seculares predictis corum officiis, ille de Falkenstein Subcamerarius equum & pelyes Marchionis Brandenburgen pro se recipiat. Magister Coquine de Nortemberg equum & scutellas Comitis Palatini: Vicepincerna de Limburg, equum & cifum Regis Boemie: Vicemarescallus de Pappenheim equum, baculum & mensuram predictam Ducis Saxonie. Sitamen ipsi in Curia Imperiali seu Regalitati presentes existant, & eorum quilibet in officio suo ministret. Si vero ipsi, vel eorum aliqui a prefata Curia se duxerint absentandos: ex tunc Imperialis & Regalis Curie cotidiani ministri, vice absentium, puta quilibet in loco ejus absensis, cui in vocabulo, seu officio communicat, sicut geret officium, sic tollat in premisis & fructum.

Imperialis insuper mensa vel Regia sic debet aptari, ut ultra alias aule tabulas five mensas in altitudine sex pedum sit altius elevata, in qua preter Imperatorem Romanum duntaxat, vel Regem, die solemnis Curie nemo penitus collocetur. Sedes vero & mensa Imperatricis five Regine parabitur in aula ita, quod ipsa mensa tribus pedibus Imperiali five Regali mensa sit bas-

bassior, & totidem pedibus eminentior supra sedes Principum Electorum, qui Principes suas inter se in una eademque altitudine sedes habebunt & mensas. Infra Sessionem Imperialem mensa pro septem Principibus Electoribus Ecclesiasticis & Secularibus parentur, tres videlicet a dextris, & tres aliae a sinistris, & septima directe versus faciem Imperatoris vel Regis, sicut superioris in capitulo de sessionibus & ordine Principum Electorum per nos est clarius diffinitum; ita etiam quod nullus aliis, cujuscumque dignitatis vel status existat, sedear inter ipsos, vel ad mensas eorum. Non liceat autem alii predicatorum secularium Principum Electorum, peracto officii sui debito, se locare ad mensam sibi paratam, donec alicuius eorum Conprincipum Electorum ejus officium restat agendum. Sed cum aliquis eorum vel aliqui ministerium suum expleverint, ad preparatas sibi mensas transeant, & juxta illas stando expectent, donec ceteri ministeria sua expleverint supradieta, & tunc deum omnes & singuli pariter ad mensas sibi paratas se locabunt.

Invenimus etiam ex clarissimis relativis & tradicionibus antiquorum, illud a tempore, cuius contrarii jam non habetur memoria, per eos, qui nos precesserunt feliciter, esse jugiter observatum, ut Regis Romani futuri Imperatoris in Civitate Frankenfordie celebraretur Eleccio, & prima Coronacio Aquisgrani, & in oppido Nurnberg prima sua Regalis Curia haberetur. Quapropter certis ex causis etiam futuris premissa servari debere temporibus declaramus, nisi premissis omnibus, seu eorum alicui, impedimentum legitimum obviaret.

Quandocunque insuper aliquis Princeps Elector Ecclesiasticus vel etiam Secularis iusto impedimento detentus, ad Imperialem Curiam vocatus venire non valens, Nuncium vel Procuratorem, cujuscunque dignitatis vel status transmiserit, missus ipse, licet loco mittentis juxta datum sibi ab eo mandatum admitti debeat, in mensa tamen vel sede, que illi qui ipsum transmittit deputata fuit, non sedebit.

Preterea consummatis hys que in Imperiali qualibet curia sive Regali fuerint pro tempore disponenda, recipiet Magister curie pro se totum edificium, seu ligneum apparatum Imperialis sive Regie sessionis ubi sederit Imperator vel Rex Romani cum Principibus Electoribus ad celebrandas solemnies curias & feuda, sicut permittitur, Principibus conferenda.

Decernimus hoc Imperiali Edicto, ut Principes Electores ecclesiastici &世俗的, dum feuda sua sive regalia ab Imperatore vel Rege recipiunt, addandum vel solvendum aliquid nulli penitus sint astricti. Nam pecunia, que tali pretextu persolvitur, officiatis debetur. Cum ergo ipsis Principes Electores cunctis Imperialis Curie presint officiis, suos etiam habentes in

I officiis

officiis hujusmodi substitutos, datos ad hoc a Romanis Principibus & dotatos, videretur absurdum, quod substituti Officiales a suis superioribus quoconque queſito colore exenia poſtularent: niſi forte ipſi Principes Elec-tores ſponte & liberaliter hys aliquid largirentur. Porro ceteri Principes Imperii Eccleſiaſtici vel Seculares, dum predicto modo eorum aliquis feuda sua ab Imperatore Romani ſuſcipit vel a Rege, dabit Officialibus Imperialiſ five Regaliſ Curie ſexaginta tres marcas argenti cum uno fertone, niſi eorum aliquis privilegio ſeu indulto Imperiali vel Regali tueri ſe poſſet, & probare, ſe folutum vel exemptum a talibus aut etiam aliis quibuscumque, que folvi in fuſcepſione feudorum hujusmodi conſueveriſtent. Predicatur in ſuper ſexaginta trium marcarum & fertonis diſiſionem faciet Magiſter Curie Imperialiſ five Regaliſ, hoc modo: Primo enim decem marcas pro ſe metiſpo reſervans dabit Cancellario Imperialiſ five Regaliſ Curie decem marcas: Magiſtris, Notariis, Diſtatoribus, tres marcas, & Sigillatori pro cera & pergamo no unum fertonem, ita videlicet: quod Cancellarius & Notarii, Principi recipienți feudum, non ad aliud quam ad dandum ſibi teſtimonialem recepti feudi, ſeu ſimpliſis iuſtiture litteram, ſint aſtričti. Item dabit Magiſter Curie Pincer de Limburg de prefata pecunia decem marcas, Magiſtro Coquine de Nortemberg decem marcas, Vicemareſcallo de Pappenheim decem marcas, & Camerario de Falkenſtein decem marcas: Tali tamen condicione, ſi ipſi & eorum quilibet in hujusmodi Curiis ſolempniibus preſentialiter aſſunt in ſuis officiis miniftrando. Si vero ipſi, vel aliqui eorum abſentes fuerint, ex tunc officiales Imperialiſ five Regaliſ Curie, qui talibus preſunt officiis, eorum, quorum ſupplent abſenciam, ſinguli ſingulorum, ſicut vicem, nomenque & laborem iuſſerunt, ſic lucrum & commoda reportabunt.

Dum autem Princeps aliquis equo vel alteri bestie iuſidens feuda ſua ab Imperatore recipit, vel Rege, equis ille ſeu bestia, cuiuscumque ſpeciei ſit, debetur ſuperiori Mareſcallo, id est Duci Saxoni, ſi prefens aſſuerit. Alioquin illi de Pappenheim, ejus Vice Mareſcallo, aut illo abſente Imperialiſ ſive Regaliſ Curie Mareſcallo.

Cum Sacri Romañ Celſitudo Imperii, diversarum nationum moribus, vita & ydiomate diſtinctorum leges habeat, & gubernacula moderari, dignum eſt & cunctorum ſapientium judicio cenſetur expediens, quod Elec-tores Principes, ipſius Imperii columpne & latera, diverſorum ydioma-tum & linguarum diſſerentia instruantur, ut plures intelligent & intelligantur a pluribus, qui plurimorum neceſſitatibus revelandis Cefaree Subli-mitati aſſiſtunt, in partem ſollicitudinis conſtituti. Quapropter statuimus, ut illuſtrium Principum, puta Regis Boemie, Comitis Palatini Reni, Ducis Saxo-

Saxonie, & Marchionis Brandenburgen, Electorum filii, vel heredes, & successores, cum verisimiliter Teutonicum ydioma sibi naturaliter inditum scire presumantur, & ab infancia didicisse, incipiendo a septimo etatis sue anno, in Grammatica, Italica & Slavica linguis instruantur; Ita quod infra 14 etatis annum existant in talibus juxta datam sibi a Deo graciā eruditī; cum illud non solum utile, imo ex causis premissis summe necessarium habeat, eo quod ille lingue ut plurimum ad usum & utilitatem sacri Imperii frequentari sint solite, & in hys plus ardua ipsius Imperii negotia ventilen-
tūr. Hunc autem proficiendi modum in premissis posuimus observandum,
ut relinquatur optioni parentum in filios suos, si quos habuerint, seu proximos,
quos in Principatibus sibi credunt verisimiliter successuros, ad loca sua
dirigant, in quibus de hujusmodi linguis possint edoceri, vel in propriis
domibus pedagogos, instructores & pueros consocios in hys peritos
eis adjungant, quorum conversacione pariter & doctrina in
linguis ipsis valeant erudiri.



HENRICUS GÜNTHERUS THÜLEMARIUS

L. S. D.

HAbes heic AUREÆ BULLÆ Copiam originali Francofurtensis per omnia congruentem, quam hinc Francofurti abiens d. 13. ac seqq. Sept. anni 1681 in Curia (quam Germ. Römer dicunt) praesente Amplissimi Senatus Archivario, Nobilissimo Domino Lio. Rafore, magna curâ confeci. Et ut tibi magis ob oculos ponerem hanc cum authentico isto in minutissimis etiam concordare, distinctiones & orthographiam ubique retinui, quod Tibi innoteſet ex vocibus: indiccione, Xpiānum, eciam, solemnis, ammodo, benedictio, quandocumque, dinoscitur, hys, absolucione, redditus, legittimus, attemptaverint, Maguntineñ, dumtaxat, Boem, Treveren, columpnis, Brandenburgen, mencio, emunitatibus, faccionis, Colonieñ, Romañ, quociens, ſentencia, littera, Archiepūs, aliisque, imò etiam vitia (qualia ſunt cap. 2. pag. 12. lin. 3. mundum pro modum cap. 24. pag. 29. lin. 8. metuntur pro metuuntur pag. 29. lin. 32. primo pro premo) manere paſſus ſum. Quoniam etiam in dicto O. rati nulla diphthongus & vel ox reperitur, idco non miraberis, ſi heic pro curiae & Cæſareæ ſemper leges curie & Cæſareæ, pro poena offendis pena &c. &c. Capita quoque quia non omnia in Autographo iſto numeros adscriptos habent, hinc in Apographo hoc idem obſeruatui. Denique non Te turbabit, quod licet quoad rubricas viginti & quinque ſint Aureæ Bullæ Capita, in fronte tamen heic tantum XXI. Capitum syllabum videas, ſi conſideraveris idem in ſape memorato Originali Francofurtensi occurrere. Ne verò ullus Tibi circa dicta ſcrupulus maneat, ep! ſupra laudati Domini Archivarii Francofurtani, quod ſubjicimus, teſtimonium. Tu H. L. laborem noſtrum hac in parte adhibitum equi bonique conſule, atque certe conſide, hoc, quod nunc edimus, eſſe accuratissimum & Originali Francofurtensi convenientiſſimum omnium, qua unquam prodierunt, Aureæ Bullæ exemplar. Faciem grandiusculi ſigilli aurei authenticæ huic Caroli IV. Sanctioni adpensi ut melius cognofcas, illud à pictore ſumma diligentia depictum erique inciſum aversa Tituli pagina imprimi curavi. Vale. Scrib. in Academia Heidelbergensi & Mense Febr. anno X̄c̄oyoviaç 1682.

Bene-

Benevolo Lectori
Salutem Plurimam dicit

HERMANNUS CHRISTIANUS RASOR

J.U.Lic. Inclytæ Reip. Moeno - Francofurtensis Archivarius.

Palam hâc meâ allocutione admonendus es, quod cum Excellentissimus Dominus *Thülemarius* AUREAM BULLAM à Gloriosissimo Imperatore CAROLO IV Electoribus & Statibus Imperii reliquis adfidentibus conditam denuo prelo submittere sibi proponeret, nihil magis in votis habuerit quàm ut præsentem editionem adhibita in emendandis erroribus veteritatis solertia vero suo *Authentico*, jam per aliquor Seculorum spaciūm in inclytâ Francofurtensis Republica fideliter asservato, conformem & correspondentem redderet, cuius itaque voti postquam indultu Nobilissimi atque Perstrenui Domini Consulis Senioris ibidem nuperis autumnalibus nundinis particeps factus, non solum *Authenticus* lictæ Bullæ coram intuitus est, sed etiam, me officii ratione præsente, tuncque operâ factum, ut nunc præsens copia vero Sigillato Originali, habitâ diligenti Collatione, concordet atque ad verbum respondeat. Quod ego in rei fidem atque testimonium publicâ hâc confessio-ne, etiam atque etiam id experte prælaudato Domino Editore, agnosco atque profiteor, insuperque de opere hoc bene atque laudabiliter suscep-to finemque optatum sine dubio assescuturo, animitus congratulor. Datum Francofurti 9. Februarii 1682.

K

ПРО

ΠΡΟΣΦΩΝΗΣΙΣ

Exadissimum AUREÆ BULLÆ

ad Editorem.

Non Deus obstat, abi; nitido radiantia villo
vellera cum Minyis pete, sicut clarus JASON:
Nam juvat & Rhenum Pegasea puppe secare,
nec culpanda ratis, rapidas per Phasidos undas
qua Regem accessit, Phryxeaque vellera poscens
ad facinus molita vias fuit: Inclite Nauta,
accedis Regem Carolum, quo divite preda
non Peloponnesum Tua virtus occupet; ipsum
sed Themidis regnum teneat, sub fronte serena.
Remorum assurget studio Parnassia pubes,
Te salvere jubens; legum victrixque carina
quam varios eder plausus, que gaudia mentis
frontis oliva dabit? nec rugas cordis in ullo,
nec mendicatum vultum, faciemve dolosam
Invidia metues: quid enim commisit JASON
Nostr? an auricomus spoliatis vellere Colchis
Prædo potens paenam, vel laudes jure meretur
Occidat ingratus, Siculo latretque profundo
Scylla rapax! redamans, gremioque in JASONIS herens
Dia Themis sequitur. Quondam mea pectora movit,
his ut versiculis nomen tebarer amici:

* * *

Posthac nec † refuso circumsona gurgite THULE
nec gravis ille * dies MARIUS quo mania viator
corripuit, nostrum ditimet, vel vincet amorem!

† Stat. lib.
V Sylo. 1.
verf. 91.
* Lucas.
lib. 11.
verf. 59.

scrib. Norimbergæ

CHRISTOPH. ARNOLDUS
Hist. Orat. Poët. & Gr. Ling. P.P.

¶ (१५)

No

Kg 1857
4°

ULB Halle
006 682 979

3



Von

ME

AUREA BULLA
K A R O L I I V
ROM IMPERATORIS
orimbergæ

B.I.G.

Black

White

Magenta

Red


Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13



et

Metis

N O M C C C L V I

Sancita

ex

O G R A P H O

famigeratissimo,

quod

no-Francofurtenſis Archivo

sancte adſervatur,

et diligenter Anno 1681

descripta & edita

ab

C O G Ü N T E R O
ÜLEMARIO.

Tertiū recusa

N O M D C X C V I I .